

PETRI DE ANDLO
DE
IMPERIO ROMANO
LIBER PRIMVS.

*De primæua principatum & do-
miniorum origine.*

CAPVT I.



EX ÆTERNVS ET IN SÆCVLA
gloriosus, cuius ineffabilis altitudo pru-
dentia, recti censura iudicij, coelestia pa-
riter & terrena disponit, à principio cœ-
lum & terram, angelicamq; & humanam
naturam creauit. Ad humani quoq; ge-
neris regulationem legem prodidit na-
turalem, quæ ad regimen concreati ho-
minis, iuxta creatoris primæuæ disposi-
tionis statum, sufficiens erat: cum ipse rerum omnium opifex
non nouerit imperfectum. Qua quidem lege omnia tunc e-
rant communia, cunctorumque hominum vna & indiuisa pos-
sessio fuit. i. Dist. ius naturale. et 8. Dist. quo iure. manebatque
eo tempore cunctis mortalibus inconcussa libertas, nec quis-
quam sciebat à consorte suæ naturæ obsequia seruitutis exigere.
c. 6. Dist. 35. Tunc quoque & ipse Deus humanum genus, vt
plasmator suam creaturam, rexit per se ipsum, illi præcepta vi-
uendi dedit, præuaricationique pœnam inflixit condignam, vt
Genes. 2. & 4. cap. in Cham & Lamech historia sacra testatur.
Verùm multiplicato genere humano, cuius ætas ab adolescen-
tia prona est ad malum, difficile erat in communione omnia o-